

DEFINITIO I.

Mixtio est miscibilium alteratorum unio : in Scolis trita est definitio, & ab ipso Aristotele, de verbo ad verbum, accepta; tantulum explanationis in gratiam tyronum subnecto: dicitur *unio*, non quidem illi similis, quæ materiam inter & formam, corpus inter & animam intercedit, sed eiusdem cum illa conditionis, quam continuatiuam vocant; sic enim vna pars miscibilis cum alia vnitur, verbi gratia, aqua, cum terra, vtrum verò mixtum vnionem veram & propriam semper dicat, paulò post definiemus; sunt enim etiam mixta liquida, quorum partes contiguæ potius quam continuæ esse videntur; dicitur *unio miscibilium*, quæ sunt ea, ex quibus mixtum constat, & in quæ resoluitur, seu resolui potest; sic lignum in fumum, & cineres resoluitur; igitur ex his prius constabat lignum, sed alio modo temperatis, ac dispositis: sic lac ex butyro, caseo, & aquea portione constat; igitur hæc dicuntur esse miscibilia, siue actu, siue potentia mixto inesse dicantur, quod infra statuatur: denique additur *miscibilium alteratorum*; cum enim miscibilia mixto saltem perfecto actu non insint, verbi gratia ignis ligno, vel ferro, scilicet non candenti, ita certè alterata esse oportet, vt eorum actus, vel esse actu sensu percipi non possit, quis enim in ligno ignem actu sentiat, vel cinerem; sed hæc ex dicendis infra meliùs constabunt; modò constat, vnionem illam plurium miscibilium, scilicet heterogeneorum, seu collectionem, vel complexionem illam, in qua vnum tantum esse actu sentitur, ex his omnibus resultans,

ita vt nullum illorum esse seorsim appareat, saltem in mixto perfecto, esse veram & propriam mixtionem.

DEFINIT. II.

Mixtum est totum ex miscilibus alteratis: vbi enim unio partium est, totum est; igitur cum mixtio sit miscibilium alteratorum unio, mixtum quod necessariò ex mixtione resultat, est totum ex miscilibus alteratis.

DEFINIT. III.

Resolutio est mixti in sua miscibilia reductio: licet deinde miscibilia in alia resolui possint, verbi gratia, cum lignum vritur, resolui dicitur; sunt autem plures resolutionum species, de quibus omnibus seorsim infra.

HYPOTHESIS I.

Multa videntur resolui: vt lignum; dum vritur; caro, dum putrescit; lac, sanguis, &c.

HYPOTH. II.

Multa corpora de nouo concre-sunt: verbi gratia lignum, caro, sanguis, metalla, &c.

AXIOMA I.

Ex iis corpora constant, actu scilicet, vel potentia, in qua resoluntur; nam cum mixtum sit totum, nec enim est corpus simplex, quod elemento tantum competit, certè ex partibus constat; ex partibus inquam, actu, vel potentia: hoc axioma ex ipsis terminis constat.

AXIO